AENEAE TROIANI NAVIGATIO
Ad Virgilij sex priores Aeneidos.
Ex conatibus Geographicis Abrahami Ortelij Antverp.
DOCTRINA ET HVMANITATE CELEBRI DNO BALTHASARO ROBIANO, R.P. ANT. THESAVRARIO, VIRO ANIMI CORPORISQ. DOTIBVS ORNATISS.
Ab. Ortelius veteris amicitiæ memor dedicabat.
Cum privilegio Imperatorio, Regio, et Cancellariæ Brabantiæ, decennali. 1594.
EVROPAE PARS.
ASIA PROPRIA. sive pars ASIAE MAGNAE.
LIBYAE, SIVE AFRICAE PARS.
OCCIDENS.
ORIENS.
MERIDIES.
HADRIATICVS SINVS.
HESPERIA SATVRNIA et ITALIA.
Gens inimica mihi TYRRHENVM navigat AEQVOR.
MARE AVSONIVM
IONIVM MARE.
MACEDONIA, cuius populi Pelasgi, Achiui, Argiui, Danai, Myrmidones, Dolopes, Dores, et Iones.
THRACIA.
AEGAEVM PELAGVS.
Cyclades insulæ.
PELOPONNESVS
TRINACRIA
Curetes. CRETA.
CYPRVS
Carpathium mare.
MARE MEDITERRANEVM.
LIBYCVM MARE.
Septima post Troiæ excidium iam vertitur æstas: Cum freta, cum terras omnes, tot inhospita saxa, Syderaq; emensæ ferimur: dum per MARE MAGNVM Italiam sequimur fugientem, et volvimur undis.
Naves quæ forte paratæ Corripiunt, onerantque auro, portantur avari Pygmalionis opes pelago, dux foemina facti.
PVNICA REGNA.
Syrtis inhospita.
Maurisij.
Getulae.
Masyli.
Breuia, et Syrtes.
Barcaei.
AEGYPTVS.
PHOENICIA.
Liburni.
Illyrici.
Getæ.
Agathyrsi.
Byzantium
Sidon
Tyrus
Sinus Arabici pars
Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste Penates
Classe veho mecum, fama super æthera notus.
Bis denis Phrygium conscendi nauibus æquor,
Vix septem conuulsæ undis, Euróque supersunt:
Europa atque Asia pulsus. Aeneid. 1.

AENEAE NAVIGATIO,

EX VIRGILIO: ADDITIS ETIAM QVÆ AD EANDEM PERTINEBANT, EX ALIIS.

TROIA capta, cremata, postquã in Idam se contulisset Æneas, patria profugus Antandrúmque peruenisset, (*secumq; sumens paternos maternosq; Deos, vt ait Xenophon*) viginti nauium classe (*in Pallenem, teste Halicarnasseo*) in Thraciam appulit. ibique cùm Ænum vrbem condidisset, (*ad Cissium montem Almopiæ peruenit, Lycophron. Circa Olympum hæsisse, scribit Liuius*) in Delum insulam venit (*vbi Lauiniam Auij sacerdotis Apollinis filiam in matrimonium adscuisse, lego in Libello Originis Romanæ, penes quem fides esto. fabulosum enim dicit Halicarnasseus.*) Inde Naxon, Donysam, Olearum, Paron, reliquasque maris Ægei insulas cùm adnauigasset, tertia luce Cretam adiit, ibide Rhœteum, Pergameamque vrbes exstruxit. Hinc soluens, (*Cytheram, vbi templum Veneris condidit, Dionysio Halicarnasseo. Inde Peloponnesum ad Cynethium promontorium: vbi Aphrodisiadem Oetiamq; vrbes ædificauit, Pausania & Halicarnasseo*) quarto deinde die ad Strophades applicuit: ex iis in Zacynthum, (*vbi Veneris fanum dedicasse, tradit Halicarnasseus*) ex qua Dulichiũ, Samon, Neritum, Ithacamque præterlegens, ad Leucathen. Hinc Actium ad Apollinis templum. & relicta Corcyra, Epiri Chaoniã legens, (*Ambraciam eodem teste*) venit Buthrotũ. (*Hinc duorum dierum itinere terrestri, vt idem inquit, Dodonam inuisit, & ad Anchisæ portum venit, Ceraunioq; montes*) à quo Ionium mare transfretauit, Italiamque inuisit; (*Citra Iapygium promontorium: eius sodales nempe. ipse autem cum reliquis, eodem dicto teste, ad promontorium Athenaũ*) ad Minerua templum. à quo Tarentum, Lacinium, Caulon, Scylaceum. Postea Scyllam & Charybdim præternauigans, Cyclopas populos Aetnæos, ostia Pantagiæ, sinum Megaricum, Thapsum, Plemmyrium, Ortygiam, Elorum fluuium, Pachinum promontorium, Camarinã, Geleos campos, Gelam fluuium, Agragantem, Selinum, Lilybœum promontorium, & tandem Drepanum. Hinc à recta aberrans via, per Saxa siue Aras digreditur, & cursum versus Carthaginem dirigit. ex qua postea denuò relicta suã Didone, in Siciliam reuersus est. (*ad Crimisum fluuium, Halicarnasseus.*) vbi post varias ludicras exercitatiunculas, patri Anchisæ anniuersaria instituit: Acestamque siue Egestã (*etiã Elimam, dicto teste*) condidit: & templum Veneris Idaliæ in montis Erycis siue Erucis cacumine exstruxit. (*aliter autem de Anchise Pausanias in Arcadicis, vbi scribit hunc in Arcadiæ monte Anchisa (sic ab eo dicto) sepultum.*) Inde Sirenum scopulos adiit: Palinurũ (*Leucasiam addit dictus Halicarnasseus. Inarimen & Prochitam, Ouidius*) & Cumas, appellit. vbi Antrum Sibyllæ, Auernumque lacum adiit. ab iis ad aereum montem Misenum: Caetam siue Lami vrbem, & Tibrim fluuium. Atque hic septem nauibus ex viginti reliquis, septennis suæ nauigationis finem fecit. & facimus nos: ex Virgilio, Ouidio, Lycophrone poëtis: Liuio, Halicarnasseo, Pausania, Xenophonte historicis.

HIC omittendum non duco, quod didici ex Pausania in Phocicis: nempe ex Æneæ comitibus quosdam tempestate actos in Sardinia consedisse. Annotandum etiam, quod Halicarnasseus & Liuius auctores sunt, Aeneam non ad Tibrim, sed ad Laurẽtum constitisse: sociis non amplius sexcentis, vt Solino placet. quod & vero similius: Tibrim enim classem nõ ferre, ex historia & experientia notum. Poëtã autem hoc finxisse pro suo arbitrio, aut erga hunc fluuium honorifico amore, existimandũ est. Neque septennale nauigationem, sed biennij tantùm fuisse, docet Halicarnasseus. idem ex Cassio Hemina Solinus. Sunt quoque teste Strabone 13. qui fictam totã hanc nauigationem putant: Aeneamque in Troia mansisse, inque regnum successisse. & id per successionem ad filiorum filios propagasse. quos inter est Homerus. Aliter autem Xenophon de Venatione, vbi scribit, Aeneas paternis maternisque Diis cum patre conseruatis, pietatis gloriam tulit: eoque factum, vt etiam hostes, illi soli inter omnes, quibus Troia capta potiti fuerant, hoc concesserunt, vt suis rebus non spoliaretur. Item huius ad Carthaginem aberrationem non exstare apud vllum historicum, fictam autem à Poëta, liquidò docet Macrobius. Congressionis etiam cum vetula aut mortua Didone fidem eleuat scriptor fide dignus Appianus, qui scribit Carthaginem conditam quinquaginta annis ante captum Ilium. Et prorsus aliam vitæ & mortis huius Didonis siue Elisæ historiam, describit etiam grauis historicus Trogus, lib. 18. Voluit autem Poëta sub hac imagine, huius Carthaginis fatalis odij in Romanos (vt quondam Homerus, sub Helenæ, in Troianos) quodammodo depingere originem. Vnde non absurdè Ausonij hoc in Didùs reginæ imaginem hic subnectere visum.

Illa ego sum Dido vultu, quam conspicis hospes,
Assimilata modis, pulcraq; mirificis.
Talis eram, sed non, Maro quam mihi finxit, erat mens:
Vita nec incestis lata cupidinibus.
Namque nec Aeneas vidit me Troius vmquam:
Nec Libyam aduenit classibus Iliacis.
Sed furias fugiens, atque arma procacis Iarbæ,
Seruaui, fateor, morte pudicitiam,
Pectore transfixo: castos quod pertulit enses.

Non furor, aut læso crudus amore dolor,
Sic cecidisse iuuat. vixi sine vulnere famæ.
Vlta virum, positis mœnibus, oppetij.
Inuida cur in me stimulasti Musa Maronem,
Fingeret vt nostræ damna pudicitiæ?
Vos magis historicis, lectores, credite de me,
Quàm qui furta Deûm, concubitusq; canunt.
Falsidici vates: temerant qui carmine verum:
Humanisq; Deos assimilant vitiis.

Priscianus siue quis alius Dionysij Afri vetus interpres, vbi de Carthagine mentio, etiam hæc,

Atque pudicitiam non perdit carmine falso,
Quæ regnans felix Dido per secula viuit.

Ex argento.

Ex argento.

Ex argento.

Ex ære.

Ex ære.

Hæc ex nummis antiquis ectypa, originis Romanæ historiolas referentia ad huius Æneæ nauigationis historiam non parum conducentia, in gratiam studiosorum antiquitatis subiicere placuit.